



Praefatiuncula interpretis

Lector benevole,

lepidam fabulam palaeoindicam, quam infra lecturus es veste Latina indutam, legi sermone sanscrito scriptam semestri hiberno annorum 1981/82 moderante Nicolao Totila Schmidt tocharologo et indogermanista Saravipontano.

Eadem fabula est pars operis, c.t. „Pañcâkhyânaka“ (1.5). Equidem adhibui textum ex eodem opere excerptum, qui invenitur in libro linguae sanscritae didactico, c .t.: Adolf Friedrich Stenzler, Elementarbuch der Sanskritsprache, Grammatik-Texte-Wörterbuch, 16.a editio, Berolini (in Aedibus Walter de Gruyter & Co.) a.1970, p.85-88.

Simile argumentum invenitur in secunda fabella diei quarti operis Iohannis Bocatii (i.e. Boccaccio), c.t. „Decamerone“, ubi callidus quidam monachus (Frater Albertus) eo quod pia euidam mulierculae narrat se esse archangelum Gabrielem, assequitur, ut illa secum coeat.

Ne omittamus Iohannem Iacobum Christophorum Grimmelshausen (1621-76), auctorem Theodiscae litteraturae Baroccae praeclarum, qui scripsit „Simplicium Simplicissimum“ fabulam romanicam. In eiusdem enim opere c.t. „Das wunderbarliche Vogelnest II“ („Mirus nidus avis II“) agitur de quodam fraudatore trifurcifero, qui narrat Iudaeo euidam pio et diviti se esse prophetam Eliam sibique a Deo esse mandatum, ut Messiam gigneret cum filia Iudaei. Revera filia Iudaei a fraudatore gravida facta non peperit puerum divinum, sed puellam profanam.

Ceterum liceat obiter addere adnotatiunculam, quae spectat ad grammaticam linguae originalis: „absolutivum“, structuram syntacticam in sermone sanscrito persaepe adhibitam, consulto studui imitari adhibitae ablativis absolutis et participiis coniunctis.

Restat ut finiam meam praefatiunculam verbis Apulei Madaurensis narratoris facetissimi: Lector intende: laetaberis!

Dr.Nikolaus Groß

**director ministrationis interretialis,
cui nomen est LEO LATINUS
//www.leolatinus.com/**



DE TEXTORE VERSUTO

Fabella palaeoindica

*Fraus bene occultata ipsum Brachmanem praeterit.
Textor cultu et vestitu Visnui dei instructus venere fruitur cum filia regis.*

In aliquo vico textor atque carpentarius habitaverunt amicitia coniuncti. Ibi a primis pueris sodales amicitia intime inter se coniuncti semper eodem loco ludentes tempus terebant.

Aliquando in quodam templo eiusdem vici magnum festum pompa celebratum est. Ibi in grege hominum, qui e variis terris advenerant, histrionum saltatorum cantatorum, hi sodales circumeuntes viderunt quandam principissam elephanto vehementem omnibus signis beatificis ornatam ab eunuchis circumdatam, quae advenerat, ut deum aspectaret. Tum ille textor eadem conspecta quasi veneno infectus, quasi malo daemone correptus sagittis Amoris ictus subito humum cecidit.

Deinde carpentarius, cum vidisset eum talem esse, contristatus amicum sublatum domum portavit. Qui ibi variis curationibus frigidis a medico praeceptis, formulis precatorum curatus post longum tempus resipuit. Deinde carpentarius interrogavit: „Heus amice, quare subito animus te reliquit? Refer de condicione tua!“ Is: „O sodalis, si vis, audi, enarrabo tibi totum secretum meum. Si tu magni facis amicitiam, veniam mihi des pyrae congerendae, ignoscas, si iniustum amorem nimium tibi exhibui.“ Ille autem, cum haec audivisset, oculis lacrimosis gemens: „O amice“ inquit, „si ita est, narra, quae sit causa huius doloris, cuius remedium fiat, si fieri poterit.“ Nam dictum est: *Magnificis quibus sunt medicamina pecunia consilium bonum prudentiaque, nihil est insanabile in mundo medio in ovo Brachmanis.* Si malum tuum quattuor rebus sanari potest, ego sanabo.“ Textor: „O amice, malum meum neque his neque aliis remediis sanare poteris; itaque noli moram afferre morti meae.“ Carpentarius: „Heus amice, tamen narra mihi de malo tuo, ut, si putavero idem sanari non posse, una tecum flammis me tradam. Ne per horam quidem patiar me a te seiunctum esse. Hoc est decretum meum.“ Textor: „O amice“ inquit, „ergo audias: Cum vidissem illam regis filiam die festo elephanto advectam, brevi post a deo amoris magnifico hic status meus effectus est. Non possum pati hunc dolorem.“ His auditis carpentarius subridens dixit haec: „Amice, si ita est, id quod optas explebitur. Iam hodie cum illa coibis!“ Textor: „Amice“ inquit, „cubiculum puellae a nemine adiri potest nisi a vento. In illo cubiculo, quod a custodibus custoditur, quomodo illam conveniam? Quid me falsis verbis illudis?“ Carpentarius: „Amice“ inquit, „vide vim prudentiae.“

Haec locutus mox construxit *garudum* cubitis mobilem, duobus bracchiis ligno arboris *vaiuzi* confectis instructum et concha, rota, clava, flore loti ornatum, et addidit coronam florum silvestrium, diadema, dei *Visnui* gemmam pectoralem. Deinde illo in *garudum* imposito signis *Visnui* confectis arte cubita movendi demonstrata dixit: „Heus amice, hoc cultu instructus media nocte sume illam principissam cubiculum supremum palatii tabulati septimi ingressam. Quae simplicitate naturali praedita putabit te *Visnum* esse et verbis tuis callido sermone fictis ad venerem incitabitur.“